

AUCTARIUM.

CONCIO I.

PURITAS MENTIS QUANTUM BONUM.

I. Deum sibi amicum facit. — II. Mentem serenat. —
III. Reddit imperterritum. — IV. Privilegio immunitatis communit.

THEMA.

Quæ paratæ erant intraverunt cum eo ad nuptias.
Matth. XXV.

Equites a balneo sunt, vel certe erant, in Anglia, instituti non contemnenda ceremonia, ut in bello de ordinibus militibus refertur. Pridie enim quam initiarentur, post divinum officium sub noctem secedebant in cubiculum, ubi lectus erat stratus, et labrum balneatorium velis operatum. In hoc abluebantur; ut hoc symbolo discederent munditiam animi et corporis studiosissime consecrari. Mane votis nuncupatis, quibus se Deo et regi obstringebant ad defensionem religionis et imperii, lato insignique pallio holoserico coloris hyacinthini induebantur, gladiosque Deo consecrantes aræ imponebant. Utinam, auditores, ardo horum equitum non modo in Anglia, sed in toto etiam orbe, præsertim christiano, institueretur et propagetur! Hoc enim est, quod Deus tam serio inculcat per Isaiam, c. I. dicens: *Lammamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perverse.* Hoc quoque est, quod requirit a nobis Christus in hodierno evangelio, dum vult omnes esse virgines, hoc est, puros ab omni labe peccati, nec non prudentes et paratos, hoc est, instructos charitate. Et en occurrit nobis hodie insignis plane hujus ordinis vexillifera, S. Catharina, quæ nomen a puritate sortita est (Græce enim puram significat); ita mente et corpore pura fuit: in cujus rei testimonium, cum capite truncata est, non sanguinem sed lac, puritatis symbolum, pro sanguine profudit; et a purissimis spiritibus, scilicet angelis, in montem Sinai humata est. Cum igitur habeamus et Dei serium mandatum, et tam præclaram ordinis coryphæam, accingamur etiam nos ad ingressum hujus ordinis. Quod ut a vobis impetrem, proferam in medium aliquot ejus privilegia et ornamenta.

I. Deum sibi amicum facit. Ita testatur Sapiens, Prov. XXII. dicens: *Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam laborum suorum, amicum habebit*

Regem. Quem vero regem? Terrenum quidem imprimis. Scimus enim in aulis regum non admitti impuros, sordidos, turpes, labe aliqua corporis fœdatos, ut patet ex aula Nabuchodonosoris, qui non nisi forma decoros adolescentes sibi ministrare voluit, Dan. I. et ex aula Assneri, qui non nisi speciosissimas in gynæceum suum admisit puellas, Esth. II. Longe vero plus amabilis est, non modo apud Deum, sed etiam apud reges præditos virtute, puritas et integritas animi; tum quia talibus se suaque credere audent, et regni gubernationem committere; tum quia inde pendet honor eorum. Si enim homines impuri in aulas irrepant, regem infamant, quos similis simili gaudeat: nec aliud agunt, quam si nummos adulterinos regis imagine insignire et validos reddere velint. Jam si integritas animi conciliat sibi reges terræ, quanto magis Deum, qui purissimus est, et fons omnis puritatis? Scimus quo altiora sunt elementa eo puriora esse; quo depressiora, eo impuriora; cælum quoque, quia supra omnia elementa est, eis longe purius: angelos denique, quia mentes incorporeæ sunt, esse purissimos. Unde colligimus impuritatem nasci ex contactu inferiorum, ut cum facies aut vestis nostra aspergatur luto, vel cum anima per affectum inordinatum inferioribus inhaeret; ita puritatem oriri ex contactu superiorum, cum affectus assurgit ad sublimiora: supremum autem adeo simplicissimum ac purissimum ens est Deus. Unde quo purior quisque ab omni labe est eo Deo vicinior, adeoque similior est; si similior, et charior, uti diximus. Hinc igitur Dominus, Matth. V. *Beati mundo corde*, inquit, *quoniam ipsi Deum videbunt*, quasi diceret: *Beati velut ephebi puri et decori coram Deo stabunt, ut in illis sibi placeat, quales describuntur, Apoc. XIV. virgines 44000. quæ cum sine macula essent, stabant ante thronum Dei, et sequebantur Agnum quocumque ivisset.* E contra eodem libro, capite XXII. clamat Joannes: *Foris canes*, hoc est, immundi quales habentur canes, exclusi sint e cælo. Scimus sane Judæos, etiam legali immunditia quomodocumque contaminatos, templum ingredi non ausos, imo nec prætorium, comesturos agnum typicum. Quanto minus apparere coram Deo debent, qui mentem impuram habent? Neque solum Deus, sed neque sancti ejus admittere in societatem suam volunt aliquem, qui vel minima labe aspersus est, uti alias ostendimus in Sancto Udalrico Augustano, et

Anaone episcopo Coloniensi; quorum uterque ad tempus, ob venialem quam contraxerat maculam, e sanctorum cœtu repulsus fuit, donec eam abstergeret. Quare qui Deo placere et gratissimum offerre sacrificium vult, cor mundum ipsi offerat. Ita enim S. Jacobus, cap. I. *Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem hæc est, etc. immaculatum se custodire ab hoc sæculo.* Propterea etiam in veteri lege hostias requisivit omni macula carentes, uti Levit. XXII. *Immaculatum offeret, ut acceptabile sit; omnis macula non erit in eo.* Quia nimirum Deus et purissimus et ab omni fæce remotissimus, adeoque per essentiam ipsa sanctitas; qui proinde qui similibus delectatur, non dissimilibus. « Vidimus nos (inquit Fulgosus, libro IX. capite XV.) Francisco Sfortiæ Mediolanensi duci, cujus aspectu nihil gratius, nihil principe magno dignius erat, juvenem in levi ipsius armatura, vultu adeo similem, ut aule totius consensu ob eam similitudinem cognomento princeps appellaretur: cum Franciscus, utpote omni in re humanissimus, non sine voluptate in eo tamquam in speculo imaginem suam ac plerisque in rebus gestus suos ac vocem agnosceret et nonnunquam contemplaretur. » Ita nimirum Deus quoque in servis simillimis, qui sunt mundi corde, se ipsum quasi in speculo contemplans, sibi vehementer complacet, qui essentiali sua beatitudine fruitur, dum contemplatur se in Filio suo, sibi per omnia æquali.

II. Mentem serenat, hilarem ac jucundam facit ac conservat semper. Videmus arbores aliquas, quæ virorem suum perpetuo conservant, etiam in austera hieme: videmus solem semper retinere splendorem ac peragere cursum suum, nec vel minimum indignari, tametsi a nubibus, quas attraxit, ponatur ei subinde obstaculum, quominus terram aspiciat; illis enim longe superior est, nec quidquam ei luminis demi a nubeculis potest. Tales sunt mundi corde; semper in suo virore, sua serenitate et animi tranquillitate; quidquid foris accidat, aut ab aliis sibi irrogetur. Unde Ecclesiastici XXVII. dicitur: *Homo sanctus in sapientia manet sicut sol: nam stultus sicut luna mutatur.* Valetudinem firmissimam habuit dux Caleb, tam robustus ab bellandum et gradiendum, cum esset octoginta quinque annorum, atque fuerat juvenis, Jos. XIV. *Moyses centum et viginti annorum erat, quando mortuus est: non caligavit oculus ejus, nec dentes illius moti sunt.* Deut. XXXIV. seu ut est in Hebr. *Non est obscuratus color ejus, nec viror illius emarcuit.* Chald. vero: *Neque mutatus est splendor gloriæ vultus ejus.* Ubi indicatur splendorem illum lucis, quem ex consortio Dei acceperat in monte Sinai, ei

adhæsisse usque ad mortem, uti etiam sensit Sanctus Ambrosius, in Psalm. CXVIII. Abulensis, et Bellarminus, libro II. de reliq. ss. capite IV. Tales sunt mundi corde, quia enim cœlesti lumine et puritatis divinæ imagine in animo roborati sunt, semper juvenile robur, vires et lætitiâ retinent, nunquam consenescent. Cernere id erat in Sancto Antonio, qui læto semper animo et vultu vixit ad annum ætatis 105. semper eundem tenorem et rigorem abstinentiæ ac penitentiæ tenens, corpore æquo ac animo semper virens, quasi juvenis, ut in vita Sanctus Athanasius. Idem de S. Abraham eremita testatur Sanctus Ephrem, in ejus vita, capite XVIII. « Erat aspectus ejus (inquit) quasi flos quidam immarcescibilis, atque in facie ejus puritas animi noscebatur. Sed et totum corpusculum ejus, quasi nihil egisset validum ac robustum apparuit, utpote qui divina gratia in omnibus fruere, et jucunditate spiritualis lætitiæ potiretur, etc. » Hic nimirum est splendor ille Moysis, Dei gratia, quæ hunc vigorem ac lætitiâ mundis corde semper infundit. Cur enim delectat is, qui se Dei gratia præditum atque innocentem novit?

E contra qui hac puritate carent, nunquam vere ac sincere hilares esse possunt; sicut nec oculus quiescere aut bene habere, in quem pulvis incidit. Tenerrima enim est, velut oculus, conscientia, et statim turbatur ac lacrymatur, quando terreno aliquo affectu gravatur. Unde David, Psalm. VI. queritur: *Turbatus est a furore* (quo scilicet paulo vehementius exarserat contra inimicos suos, ut exponunt Gregorius, Augustinus et Nyssenus, apud Lyranum) *oculus meus; inveteravi inter omnes inimicos meos.* Ecce perditam animi puritatem, non modo quietem conscientie perdidit, sed etiam juvenilem illum suum vigorem ac lætitiâ, de qua Psalm. XLIII. dixerat: *Introibo ad Deum, qui lætificat juventutem meam;* in virili jam ac prope senili ætate. Idem lamentatur Ps. XXXVII. cum ait: *Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea.* In quæ verba Sanctus Augustinus: « Unde conturbatum est? inquit. Et deseruit me fortitudo mea. Plerumque aruit nescio quid repentinum, fit conturbatio cordis: contremiscit terra, tonitruus datur de cælo, horribilis fit impetus vel strepitus, leo forte videtur, in via fit conturbatio, latrones insidiantur, fit conturbatio cordis, pavetur, undique sollicitudo incutitur. Unde hoc? Quia deseruit me fortitudo mea. Si enim maneret illa fortitudo, quid timeret? Quidquid nuntiaretur, quidquid frenderet, quidquid sonaret, quidquid caderet, quidquid horreret, non terreret. » Hinc perturbatio Adami, ut fugeret subter arbores, quasi a Deo posset se

abscondere: Caini in terra, quasi a suis parentibus et filiis non esset securus: Saulis irati, dum vult stabilire regnum filio Jonathæ, et interim lancea vitam eripere: Judæ, dum sedaturus conscientiam, laqueo se strangulat.

III. Facit audacem et imperterritum quibusvis in periculis, quia non habeat unde timeat, Deo teste et iudice innixa. Vidit hoc Græcorum sapiens Bias qui interrogatus quidnam in vita metu careret, respondit: *Bona conscientia*. Melius adhuc sapiens noster Salomon, Proverb. XXVIII. cum ait: *Fugit impius nemine persequente: justus autem quasi leo confidens, absque terrore erit*. Aristoteles, libro V. anim. capite XIII. scribit: « Leo in venatu dum cernitur, nunquam fugit ac metuit; sed etiamsi venantium multitudini cedere aliquando cogitur, sensim pedetentimque discedit, crebro subsistens atque respectans. » Leo ergo, cum habeat fortissimum caput, et norit vires suas, nullum animal metuit: rugitu etiam suo omnia animalia terret, ipsevero a nullo terretur: ita justus confisus in capite suo, quod est Deus, novit se invictum, adeoque omnia pericula et tormenta spernit. Hujusmodi leo fuit Sanctus Chrysostomus, cum, episcopali throno dejectus, ageretur in exilium, de quo ipse in epist. IX. ad Cyriacum, tom. V. scribit: « Etenim ego cum a civitate fugarer, nihil horum curabam, sed dicebam intra memetipsum: Siquidem vult regina me exulem, agat in exilium; Domini est terra et plenitudo ejus: et si vult secare, secet; idem passus est Isaias; subscribar illi: si vult in pelagus me mittere, Jonæ recordabor: si vult in caminum injicere, idem passi sunt tres illi pueri: si me feris vult objicere, objiciat; Danielis in lacum leonibus objecti: recordabor si me lapidare vult, lapidet me; Stephanum habeo primum martyrem socium: si et caput tollere vult, tollat; habeo socium Joannem Baptistam: si et substantiam auferre, auferat, nudus exivi de utero matris meæ, nudus etiam abibo. Me admonet apostolus: Hominis personam Deus non accipit. Et si adhuc hominibus placerem, servus Christi utique non essem. Armatus me David dicens: Loquebar coram regibus, et non confundebam. » Eadem confidentia Samuelem, postquam suam innocentiam coram populo attestante comprobavit, depositus ab eo de principatu suo, sic eum allocutus est: *Nunc ergo stete, ut iudicio contendam adversum eos coram Domino*, I. Regum XII. exprobrans eis ingratitude, quod optent regem hominem, et Deum regem suum quasi abjiciant. Non timet reos reprehendere, qui sceleris est purus: quemadmodum et Chrysostomus non metuit increpare iniquissimam Augustam Eudoxiam, innocentia sua fretus.

E contra David rex non est ausus punire, imo nec reprehendere incestum filii sui Amnon, sed tantum contristatus est eo audito; et: *Noluit contristare spiritum Amnon, ut dicitur II. Regum XIII. Sed quamobrem? Quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat ei*, ait textus. Sed tacet alteram et forte veriore causam: quod nimirum David paulo ante in simili genere gravissime peccasset, non quidem incestu, sed adultério. Idcirco bene contristatus esse dicitur, et noluisse contristare spiritum Amnon. Quomodo contristatus super Amnon, si eum noluit contristare? Qui enim contristatur, cum alio tristatur. Nimirum tunc duæ quasi personæ erant, patet: Amnonis et reus similis delicti. Itaque in Davide pater una cum reo patiebatur et tristabatur; unde filium plectere non est ausus. Idem ostendit eodem capite in Absalone, Amnonis parricida, quem pro merito non punivit, quia norat a se quoque non absimile peccatum admissum in Uria, hostium gladiis sive causa tradito. Quare ardorem justæ vindictæ peccati non dissimilis timida conscientia restrixit. Ut enim vitæ innocentia parit audaciam, sic sceleris conscientia adimit reprehendendi et castigandi libertatem.

IV. Munit hominem privilegio immunitatis, ita ut nemo eum impune tangere seu affligere possit, quin Dei in se vindictam concitet. Scriptum est enim Exod. XXXIII. *Insonem et justum non occides*; consequenter nec alia quavis injuria afficies. Imo Gen. IX. asserit Deus se requisiturum sanguinem humanum (innocentum videlicet) etiam de bestiis, ita ut necari debeant, si quem occidissent. Inde etiam accidit, ut innocentum preces et vota contra iniquos vexatores Deus exaudire, et vindicare injurias soleat. Quare viri boni ne interesse quidem volunt, cum innocentes puniuntur, ne et ipsi rei fiant, injuriam aspiciendo. Exemplo est Daniel, qui videns innocentem Susannam duci ad mortem, exclamavit: *Mundus ego sum a sanguine hujus*, quasi diceret: Ego non consentio, nec interesse volo damnationi innocentis hujus, Dan. XIII. Similiter Gamaliel monet consenatores suos, ut abstineant ab apostolorum persecutione: *Discedite ad hominibus istis, et sinite illos, etc. ne forte et Deo repugnare inveniamini*, Act. V. Quinetiam sævi et barbari homines vel innocentibus parcunt; vel certe si vim afferant, non sine horrore id perficiunt. Sultanus Murates, Turcarum imp. qui anno 1574. initio imperii, quatuor fratres suos jugulari jussit dum nati minimo velut innocentissimo, nervus in jugulum adhiberetur, illacrymatus est, Beirl. in chronol. Adde etiam bestias sæpe deprehensas ab innocentum læsione abstinere; sive miraculo, uti leones a Daniele,

Daria, Thecla et aliis martyribus; sive reverentia innocentis ex naturali instinctu, ut lupus ab infantibus subinde expositis. Ophiogenes, sic dicti quasi a serpentibus geniti, in insula Cypro non læduntur a serpentibus; ex qua familia legatus Hexagon nomine a Coff. Romæ in dolium serpentibus plenum conjectus, experimenti causa, circummulcentibus anguibus, miraculum præbuit, Plin. libro XXVIII. c. III. Tales ophiogenes sunt puri et innocentes, quibus nocere vel irrationales creaturæ metuunt, nedum homines. Paulus quidem abbas juxta Trebidem tractabat manibus aspides cornutas, serpentes et scorpiones, scindebatque eos per medium absque ulla noxa. Interrogatus a fratribus, unde hanc gratiam haberet: *Ignoscite mihi*, inquit, *si quis possederit puritatem, omnia subjiciuntur ei, sicut Adæ, quando erat in paradiso ante prævaricationem divini mandati*, in vitis pp. I. VI. capite II. Puer etiam duodennis aspidem miræ magnitudinis in deserto obviam sustulit, et pallio obvolutam in monasterium gaudens sine læsione tulit, ib. I. IV. cap. III. Denique, ipsa elementa sæpissime refugere a læsione innocentium. Nam ut taceant tres pueros in fornace Babylonica, refert S. Gregorius Moral. I. III. c. XVIII. Benedictum quemdam, sanctæ conversationis juvenem, a Gotthis in caminum ardentem ligatis manibus et pedibus injectum, altera die, illæsis etiam vestibus, in igne sanum et integrum repertum. E contra qui impuritatis labem aliquam contraxit, jam pœnæ obnoxius est et vindictam a tergo sequentem undique expectat, sive ut hic elevatur per pœnitentiam, sive ibi per purgatorium, aut ut indeletum æternum, puniatur in inferno. Sicut umbra corpus, sic pœna sequitur peccatum. Magnes ad se ferrum, et culpa ad se pœnam trahit. Sensit Cain, cum, vix admissis parricidio, pœnam præ foris adesse vidit, et undique profugus factus est: sensit Achab, cum sagittam jaculatoris, licet in incertum emissam, traxit ad se in eam corporis partem, qua immunitus erat, III. Reg. XXII. sensere alii omnes, vel sentient adhuc. Quæ cum ita sint, quis non toto pectore amet, quærat et conservare studeat mentis puritatem? Qui mundorum cordium ordini non adscribi velit? Herminium est animal, mustelæ magnitudine, puritatis adeo amans, ut capi et occidi malit, quam fugere per foramen luto aspersum: a quo parcemiam sibi desumpsit Ferdinandus II. Aragonum rex: *Malo mori, quam fedari*. Eadem vobis mens, idem propositum sit, auditores, juxta edictum Dei: *Lavamini, mundi estote*. Audivit hoc edictum fornicator quidam legi in templo, indeque compunctus et conversus est, planeque vitam incestam muta-

vit in castam; quem proinde Paulus S. Antonii discipulus, cum prius ingredi in templum vidisset nigrum et nebulosum, tractum a dæmonibus, fræno in os immisso, pone sequente angelo ejus custode, mæstitia perfuso, jam egredientem vidit clara facie et candidum, comitante angelo hilari vultu, sequentibus a tergo et mœrentibus dæmonibus, uti refert Ruffinus, in vitis pp. I. III. num. CLXVII. Igitur et vos *lavamini, mundi estote*: ac si quis forte niger et impurus hoc templum ingressus est, compungatur illico, ut hinc egrediatur et perseveret candidus ac purus. Sic paratus erit cum virginibus prudentibus ad ingressum cœli.

CONCIO II.

GLADIUS S. CATHARINÆ SEU CASTITAS SUADETUR VIRGINALIS.

I. Confert dignitatem angelicam. — II. Confert singularem protectionem. — III. Confert gloriam immortalitatem.

THEMA.

Simile est regnum cœlorum decem virginibus. Matth. XXV.

Videmur, auditores, nunc eo tempore esse, quo fuit Christus, cum discipulis, imminente sibi passione, quando dixit: *Qui non habet (scilicet gladium) vendat tunicam et emat gladium*, Luc. XXII. Quid igitur, dicet aliquis? Num ad militiam nobis eundum? Ad militiam certe, sed spirituales mittere vos cogito, atque in hunc finem gladio accingere. Et quo gladio, nisi quem S. Catharina nobis porrigit, gladio castitatis? Gladius femori (quod carnis appetitum et illecebras designat sæpius in Scripturis) accingitur: castitas carnem domat ac defendit. Is vero triplex est: ferreus, conjugatorum; argenteus, viduarum; aureus, virginum; de quo hic potissimum sermo. Verum qui militarem gladium sibi accingere vult, prius de stipendio quærit; uti fecit David, I. Reg. XVII. *Quid dabitur viro, qui percusserit Philisthæum hunc?*

Quæramus igitur et nos: Quid dabitur virginibus? Respondet Dominus, Isa. LVI. *Dabo eunuchis (virginibus) in domo mea et in muris meis locum, et nomen melius a filiis et filiabus; nomen sempiternum dabo eis.* Magna profecto merces, quam nunc explicabimus.

I. Gladius hic dat eis locum honorificum et dignitatem, juxta id Isa. LVI. *Dabo eunuchis (qui scilicet seipsos castraverunt propter regnum cœ-*

lorum, Matth. XIX.) *in domo mea locum*, quasi diceret; ut sint de domo et familia mea, seu ut sint angelorum cives et confratres. Indicat hoc ipse Christus, Matth. XXII. *In resurrectione neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei.* Accedit Tertullianus, l. I. ad uxorem, c. IV. ubi ait: *In terris non nubendo de familia angelica deputantur: et Sanctus Hieronymus, epist. XXII. ad Eustoch. « Statim ut Filius Dei ingressus est super terram, novam sibi familiam instituit; ut qui ab angelis adorabatur in cælo, haberet angelos in terris, nempe virgines. »* Hinc angelus in Apoc. cap. XIX. non vult adorari a Joanne, quia *conservus* ejus sit. Plus addit D. Petrus Chrysologus, serm. CXLIII. « Semper, inquit, est angelis cognata virginitas. In carne præter carnem vivere, non terrena vita est sed cælestis. Et si vultis scire, angelicam gloriam acquirere majus est, quam habere: esse angelum, felicitatis est: virginem esse, virtutis. Virginitas enim hoc obtinet viribus, quod habet angelus ex natura. » Plane, sicut nobilem fieri virtutibus præstantius est, quam nobilem nasci. Unde S. Bernardus, in epist. XLII. ait: *Angeli castitas felicitior, pudicitiam fortior esse cognoscitur.* Hinc angeli ss. virginibus maxime addicti et familiares sunt, eosque ad cælum comitantur mortuos, uti imprimis Eliam; de quo Ambrosius, serm. LXVII. de Elisæo: « Elias, angelis ducentibus, raptus ad cælum est, et quadrigæ igneæ impositus, quasi in quodam triumpho victor ascendit. Victor enim extiterat non gentium barbararum, sed secularium voluptatum. » Georgiam virginem Deo devotam, dum post mortem ad basilicam portaretur, grex magnus columbarum adveniens comitatus est, super eam volitans: tum super tectum ædis, in quam deponeretur, conседit, eaque sepulta, ad cælum evolavit, ut refert S. Greg. Turon. de glor. confess. c. XXXIV. angelos fuisse columbas illas, velut pudicitiae amantes. dubium non videtur. Hinc jam non mirum, si ab angelis Catharina in monte Sinai sepulta est; quia sicut cives sepeliunt concivem, ita angeli debebant sepelire concivem et sororem suam.

II. Dat eis singularem protectionem, dum addit: *In muris meis*, quasi diceret: Inter muros meos præsidium meum, in Hebr. legitur: *Dabis eis iad*, id est *manum*, ubi noster *locum* legit. Quid vero manus Dei, nisi auxilium, robur et defensionem notat? Et primo, ut sint in peculiari tutela angelorum. Quod patet in primis exemplo trium puerorum, qui in fornace Chaldaica illæsi custoditi sunt ab angelo, atque ut vult S. Damascenus, lib. IV. de fide, cap. XXV. propter virginalem eorum castitatem; similiter

Daniel a leonibus. Refert etiam S. Hieronymus, Malchum monachum in antro a læna non modo non læsum, sed etiam defensum esse contra barbarum herum, ob servatam pudicitiam cum obtrusa sibi a barbaro muliere, in vita Malchi. Hyæna Pachonem castum servavit et circumcinxit, apud Pallad. in hist. Lausiaca, cap. XXIX. Catharina cum rotis alligata esset, ut discerperetur, ea machina ab angelo confrica et dissipata est; ipsa vero virgo inde soluta. Denique, licet plures virgines christianæ a tyrannis ad lupanaria detrusæ sint, nulla tamen violata fuit: omnes a Deo custoditæ sunt; quod plane miraculosum et divinæ protectionis luculentum est testimonium.

Secundo, ut sint ad sapientiam capiendam magis dispositæ, non secus ac speculum nitidum ad imagines recipiendas, papyrus candida ad characteres. Hinc opinor dedit Joanni non solum majorem intelligentiam rerum divinarum et suæ divinitatis aliorumque gestorum, sed etiam ut ipse in navi cum aliis quibusdam discipulis constitutus, solus ac primus Christum agnosceret, Joannes XXI. S. Gregorius Nazianzenus, cum Athenis vacaret studiis, vidit per soporem sedenti sibi et legenti duas decoras dextra lævaque feminas assidere, quas ille castitatis instinctu torvis aspiciens, quænam essent, rogavit. At illæ familiariter eum complectentes: « Ne moleste accipias, juvenis, inquit; notæ tibi satis et familiares sumus. Altera enim ex nobis sapientia, altera castitas dicitur; et missæ sumus a Domino tecum habitare, quia jucundum et mundum in tuo corde nobis præparasti habitaculum. Age, fili, mentibus nostris mentem tuam junge: ita futurum est, ut singulari splendore præditum feramus, ac juxta immortalis Trinitatis fulgorem collocemus, uti refert Ruffinus, et ipse Gregorius, in orat. de calamitate animæ suæ, ubi alteram vocat *temperantiam*; quam Ruffinus bene castitatem. Comes ergo castitatis est sapientia, quia castitas supponit in homine temperantiam; quæ prima ad sapientiam dispositio est, mentemque gerit serenam: sicut vicissim etiam: *Clamata studia litterarum et vitia carnis non amabis*, ait Sanctus Hieronymus. Hinc Deus vere castis ac virginibus revelavit arcana sua, uti Josepho in carcere, et Danieli in Babylone constituto somniorum interpretationem, aliarumque rerum scientiam. Nec dubium S. Catharinam adminiculo castitatis ad tantam pervenisse sapientiam, ut doctissimos quosque philosophos superaret: cui etiam promisit in carcere angelus addendam sapientiam, a Deo infusam, qua quinquaginta doctissimos vinceret.

Tertio, ut sint vegetiores, etiam corporis viribus; tametsi natura ipsa quoque castrorum vires conservare solet, sicut frangere luxuria, uti discere possumus ex Godefrido Bullionio, qui, ut refert Th. Sallius, cap. VIII. prax. spir. in recuperanda Palæstina tanto manu robore depugnavit, ut equites cataphractos uno ictu medios secaret. Interrogatus unde illi tantæ essent vires, respondit: *Nunquam hæc dextera molliori aliquo ac turpiori contactu effeminata est.* Hinc Clemens Alexandrinus, lib. II. pædag. cap. X. meminit olim pugiles, qui se continebant, præ cæteris vincere solitos. Verum huic naturali castitatis præsidio Deus aliud supernaturale addere solet, ut sint robustiores et infracti prorsus ad superandas carnis tentationes, necnon visibiles hostes. Patet imprimis in castissimo Joseph, qui illecebris dominæ suæ tam constanter ac viriliter resistit, atque e manibus trahentis eluctatus est, tunica relicta: patet in castissima Judith, quæ non solum castitatem suam oratione et sobrietate contra salacem Holofernem defendit, sed ipsum etiam plusquam virili robore decollavit, et hoc vi castitatis suæ; uti testatur summus pontifex Joachim: *Eo quod castitatem amaveris, et post virum tuum alterum nescieris, ideo et manus Domini corroboravit te*, Jud. XV. Quod si hoc meruit vidualis castitas, quid non merebit virginalis? In hujus rei figuram Jonathas filius Saul percussit stationem Philistinorum, I. Reg. XIII. et rursus, cap. seq. XIV. solus cum armigero suo maximamque inter Philisthæum stragem edidit. Jonathas *donum columbæ* exponitur: Philisthini vero, *potu cadentes*: ergo: *Jonathas stationem Philistinorum percussit; quia electa virginitas, de carne continentis arce sublimata, motus turpes extinguit*, inquit in eum locum S. Gregorius. In vita S. Porphyrii episcopi Gazæ, quidam ejus minister juvenis, Barochas nomine, cum idololatrarum clavis enectus putaretur, repente viribus confirmatus, et zelo ac divino robore armatus, tumultuantes idololatrias fuste invadit, cæditque ad mille viros instar Samsonis; ita ut unus super alterum caderet, 26. febr. apud Sur. Quod videtur sane zelo et castitati ejus datum a Deo fuisse. Quid dicendum de S. Eutropia virgine, S. Nicasi Rheim. episcopi sorore? Videns hæc a Wandalis fratrem obruncatum, se vero ob corporis pulchritudinem reservari ad turpitudinem: *Crudelis tyranne*, inquit, *me tibi abutendam reservas?* Itaque eum ad martyrium suum provocans, saltu repentino, raptis palpebris, non feminea virtute, sed divina ultione oculos ejus evulsit, maluitque gladios persequentium sustinere, quam delectationibus paganorum assentiendo peccare,

ut in vita Sancti Nicasi, 14. decemb. apud Sur. S. Thomas Aquinas juvenis feminam impudicam titione fugavit, a Deo procul dubio adjutus et confortatus.

Quarto, ut perseverent in Dei gratia. Qui enim de potentissimo hoste carne triumphant, quomodo non facile superabunt hostes debiliores? Et qui carnem suam commaculare nolunt, quomodo maculare animam poterunt? Accedit Dei singularis assistentia, quia castos a suo latere divelli non facile patitur. Idcirco enim Apoc. XIV. dicuntur virgines Agnum sequi: *Quocumque ierit: sicut gynæceum videlicet sequitur reginam.* Unde S. Ambrosius, lib. I. de virg. ait: *Custodit Dominus virgines grandi cura.* Patet in Catharina, quæ contra omnes tyranni illecebras, promissiones, minas et supplicia stetit immobilis, unde lac pro sanguine fudit, quia scilicet una cum castitate lacteam et infantilem innocentiam semper conservavit.

III. Dat eis gloriam immortalem coram Deo et hominibus. Ita enim citato loco Isaïæ subditur: *Dabo eis nomen melius a filiis et filiabus* (hoc est, quam haberent a filiis et filiabus suis si matrimonio se alligassent), *nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Quod vero hoc nomen, nisi gloria, decus, fama, et memoria gloriosa apud Deum et homines, non solum castos, sed etiam impuros atque impios? Hinc enim exclamat Sapiens, Sap. IV. *O quam pulchra est casta generatio cum claritate! Immortalis est enim memoria illius; quoniam apud Deum nota est et apud homines.* Honorata a Constantino Magno imp. adeo fuit, ut vix virgineum chorum tantum non adoraret; arbitrans isthic habitare Deum, cui se puellæ devoverunt, ut refert Eusebius, in ejus vita, lib. IV. Teste etiam S. Petro, epist. cap. IV. gentiles impuri admirabantur Christianorum castitatem: *Non concurrentibus illis in eandem luxuriæ confusionem*, in quam scilicet ipsi concurrebant. Gloria et memoria, quam parentes a filiis quærent, imprimis fluxa et brevis est; deinde, sæpe fallit, et in confusionem desinit. At memoria castorum et gloria æterna est, ut patet imprimis in S. Catharina toto orbe celeberrima; quam Deus variis illustravit miraculis, uti immanis rotæ contractione, gentiliū conversione, lacte e corpore decollato manante, sepultura angelica, oleo salifero de corpore ejus fluente, ipso denique nomine *Catharinæ*, quod significat *puram* Græce: in S. Cæcilia virgine, cujus domus Romæ in templum, prout ipsa a Deo petierat, consecrata est; quomodo octoginta lampadibus argenteis exornatum cernitur: corpus vero integrum per annos 1300. conservatum: in Walpurga virgine, e

cujus ossibus adhuc stillat oleum salutarum Eystadii: in aliis denique innumeris. Verum nihil est hæc gloria virginum quam in terris sortiuntur, respectu gloriæ et peculiaris illius aureolæ, quam in cælis paratam habent; ubi: *Sequuntur Agnum quocumque ierit*, cantantes ei canticum novum, quod nemo alius præter ipsas novit.

Atque hoc est stipendium castitatis, pro quo parando et conservando tam strenue certarunt quam plurimi, ut mortem et omnia tormenta perferre maluerint, quam ejus jacturam facere; itaque cum animalculo illo munditiæ amantissimo, arminio, maluerunt *mori quam fœdari*. Uti in primis S. Casimirus Poloniæ regis filius, qui æger mori maluit, quam matrimonii remedio (de consilio medicorum) valetudinem recuperare: Alexander venustissimus juvenis, postea Romanæ urbis episcopus factus: *Ne vel sibi ipsi aliquid accideret imprudenti, quod factum nolisset; vel alienis oculis casus et offensionis materiam præberet, idcirco se carbonario opivio veluti persona quadam deformi consulte circumdat*, inquit D. Gregorius Nyssenus, in vita S. Gregor. Thaumatis. S. Maxellendis, nobilis virgo Cameracensis provincie, ignorans, et contra voluntatem Hardwino a parentibus desponsa, ab eo ad raptum quæsitâ, domi se in cistam inclusit: sed demum reperta, turpi ejus desiderio constanter se opposuit, mortem potius admittens, ut Christum sponsum retineret; dumque e manibus ejus eluctata, fugam quærit, gladio ejus obtruncata, miraculis coruscavit, Sur. 13. nov. Berengarii Italica regis Filia, ob raram formæ venustatem a multis imperii proceribus in matrimonium expetita, hoc astu procos delusit: «Duos pulvinos suis uberibus supposuit, (inquit B. Petrus Dam. l. VI. epist. XXI. ad Damian. monachum) et tamdiu inter vestem et carnem, donec omnino putrescerent, occultavit. Cumque conspiceret homines ad suum venire colloquium, laxabat occulte vestem, et naribus colloquendum gaudebat fetorem. Cumque colloquens ei hanc quotidie narium paterentur injuriam, tandem cessavit delusa sollicitudo quærentium: et virgo Christi per simulatam carnis alienæ putredinem, inviolabilem sui corporis servavit integritatem.» David, ubi intellexit virum, qui percussisset Goliathum, ditandum opibus, fore generum regis, et domum ejus a tributo eximendum, fortiter se ad certamen obtulit atque accinxit. At quanto sunt majora, quæ promittuntur virginibus? Accingite ergo vos gladio: *Gladius Catharinæ gladius Dei est.*

CONCIO III.

FUERITNE CATHARINA VIRGO SAPIENS.

I. Sapiens fuit, quia, edomita carne, virginitatem coluit. — II. Quia, spreto mundo, martyrium subire quam ei servire maluit. — III. Quia, devicto dæmone, Christo adhæsit.

THEMA.

Quinque ex eis erant fatuæ, et quinque prudente.
Matth. XXV.

Audimus ex evangelio hodierno non omnes virgines esse sapientes; sed alias quidem prudentes, alias esse fatuas. Quod cum ita sit, quo loco, auditores, ponemus virginem Catharinam? Certe si carnem, mundum, dæmonem audiamus, statuendam inter fatuas dicent. Qui enim carnis illecebris, qui mundi hujus opibus ac honoribus, qui dæmonis obsequio strenue se opponit, insanire ab illis putatur. Ita fratres illi seu amici Jehu dicunt de propheta quodam religioso: *Quid venit insanus ille ad te?* IV. Reg. IX. ita Festus præses S. Paulo suam conversionem recensenti: *Insanis, Paulus: multæ te litteræ ad insaniam convertunt*, Act. XXVI. ita denique inferi de sanctis, mundi contemptoribus loquuntur: *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam*, Sap. V. En tibi iudicium carnis, mundi, dæmonis de cultoribus Dei. Quidni hoc idem ferent de S. Catharina? Verum aliter de ipsa sentit Ecclesia universa, quæ de ipsa canit: *Hæc est virgo sapiens, et una de numero prudentum*. Idque verissimum esse hic ostendemus.

I. Fatua caro dicitur, quod coluerit virginitatem. Quid enim? Nonne melius est sponsum habere nobilem, divitem, speciosum? Gaudere voluptatibus et matrimonii commodis? Possidere gratiosos liberos et post se relinquere hæredes? Poterat certe Catharina genere nobilissima, regia de stirpe, hæc omnia habere: verum omnia contempsit. Numquid igitur fatua? Imo sapientissima. Nam quod attinet ad primum, nonne præstat habere sponsum celestem Dei Filium, sapientissimum, ditissimum, nobilissimum, speciosissimum, immortalem, quam hominem mortalem, quantumvis alioquin nobilem, divitem, speciosum, cum quo brevi omnes deliciae sunt interiturae? Hoc certe argumento persuasere SS. Nereus et Achilleus, baptizati a S. Petro, cubicularii eunuchi S. Domitillæ, ut, contempto sponso Aureliano, nobilissimo consulis filio, Christum sponsum eligeret. Cum enim illa se sponso suo impense adornaret, monuerint illi, ut se sponso Christo potius per virginitatem desponsaret;

cumque illa prædicaret sponsum suum et matrimonii bona, proposuerunt illi, quod sponsi terreni initio quidem blandiri soleant puellis et mira eis promittere, ductas vero dure habeant veluti mancipia, iis pro libitu abutantur; ad hæc ob zelotypiam prohibeant conversationem cum hominibus, etiam cum parentibus, et quandoque propriis cum liberis; ac si libidinosi sint, sæpe, ipsis spreto, adhæreant ancillis: Christum autem esse sponsum semper suavissimum, amantissimum, constantissimum: annon præstet igitur tali sponso cum incredibili animi voluptate et certo gloriæ præmio adhærere, quam mortalis hominis dominio instar mancipii se subjicere? Quibus illa persuasa, continuo Aureliano relicto, Christo per virginitatis votum se despondit coram S. Clemente Pp. ut in vita eorum 12. maii. Quoad secundum, voluptates illæ et commoda conjugii compensantur multo pluribus mororibus ac molestiis, in gestando utero, enitendo factu, alenda et educanda prole, eademque si mala sit toleranda, elocanda et per mortem deserenda; quod ultimum vel unicum dehortabatur a nuptiis Thaletem Milesium, qui Solonem contra sentientem convicit, ut alibi diximus. His aliisque miseris misere depascitur flos et gaudium conjugii, quod per similitudinem prati a bobus depasti ostendit S. Martinus, ut in ejus vita refert Sulpitius. Manet vicissim pulcherrima integritas in virginibus, quæ illas Deo et angelis similes facit, uti etiam notarunt Nereus et Achilleus, in prædicta sua oratione.

II. Fatuam mundus diceret, quod, eo spreto, vitam perdere et martyrium subire voluerit. Quid enim? Maximus spondet ei divitias, honores, regni denique communionem, si diis immolaret; ad hæc ipsa ex patrimonio ditissima et adhuc juvenula erat. Nonne præstat frui his tantis mundi bonis, quam immatura morte, eaque infami ac supplicii exquisitis vitam prodigere? At nihil hæc valuerunt apud Catharinam. Non divitiæ, quia: *In vita cruciant, in morte deserunt, et in divino tribunalis divites ipsos accusant*, ut ait S. Chrysost. Ad hæc in bonis numerari divitias non debere, intellexit vel ethnicus Cicero, II. Tuscul. quia eas quivis indignus habere potest. Ac si bonæ essent, hominem plerumque malum non redderent, quod tamen faciunt. Hinc Phocion, cum ei Alexander M. centum talenta auri misisset, interrogavit adferentes, quamobrem ex tanto Atheniensium numero sibi soli ea mitteret? Ipsisque respondentibus, quoniam rex existimaret ipsum solum esse bonum virum: *Quin igitur*, ait, *me posthac quoque talem esse permittat*: sicque pecuniam remisit, Stob. serm. XXXV. Sola virtus

est, quæ facit hominem bonum. Ad hæc opes quæcumque auferri nobis possunt, virtutes non possunt, unde solæ hæc vere divitiæ sunt, teste Cicerone, paradoxo I. et ult. «Si callidi rerum æstimatores, ait, prata et areas quasdam magni æstimant, quod ei generi possessionum minime quasi noceri possit: quanti æstimanda virtus, quæ nec eripi, nec surripi potest unquam, neque naufragio, neque incendio amittitur, nec temporum nec tempestatum permutatione mutatur; qua qui præditi sunt, soli sunt divites? Soli enim possident res et fructuosas et sempiternas.» Huic B. Godefridus comes in Cappenberg. factus Præmonstratensis, dicebat: «Nonne stultus esset, qui nollet una siliqua emere unam civitatem? Talis ergo fuissem, si maluissem, retinere meum comitatum, quam pro eo emere celum,» apud Sur. 13. jan. Non honores; qui et hi onera potius sunt et impedimenta, quam emolumenta. Quod expendens S. Pionius presbyter Smyrnensis et socii martyres, coronas, quas ipsi persecutores imposuerant, discerpserunt et abjecerunt. In eorum actis, I. febr. apud Sur. Quod et fecit Catharina: unde sub ejus pedibus pingitur rex coronam gerens quasi calcatus. Qui enim nosset: *Quid curarum et miseriarum sub regia corona late-ret, ne humi quidem jacentem tolleret*, ait quidam rex, apud Valer. I. VII. cap. II. Sigismundus imp. asinos dictabat beatiore esse regibus, quod illis dum comedunt sarcinæ et clitelæ auferantur, regibus curæ nunquam, Beirl. in apoph. christ. Et ubi illa corona quæ capiti tandem non detrahitur? Mors certe illam aufert. At quam elegit Catharina, corona vitæ est semper virens: *Dabo tibi coronam vitæ*, ait Dominus episcopo Smyrnæ, Apoc. II. id est, semper virentem, nunquam interituram.

III. Fatuam dæmon clamaret, quod Christo adhærere, et pietatem sectari, abjectamque Christianorum servitatem servire voluerit. Quid enim? Nonne præstat dominum esse, quam servum? Liberum, quam legibus constrictum? Planam et jucundam viam ire, quam montuosam et asperam? At fides et religio christiana tot legibus homines ligat, ut sui juris esse desinant. Nihil hoc Catharinam movit. Sciunt enim primo, servitatem christianam regnis esse præstantiorem; quemadmodum et S. Agatha Quintiano Siciliæ prætori objicienti: «Nonne te pudet nobili genere natam, humilem et servilem Christianorum vitam agere?» respondit: «Multo præstantior est christiana humilitas et servitus regum opibus ac superbia,» ut in brev. lect. IV. Ratio, quia ut S. Antonius archiepiscopus Florent. in morte, cum jam aliud loqui non posset, crebro iterabat: *Ser-*

vire Deo regnare est. Servi enim Dei simul etiam amici ejus sunt et participes regni; quod non fit in servis regum, quorumcumque tandem. Tali argumento nobilis ille (in confess. S. August. I. VIII. cap. VI.) ex aula Theodosii imp. apud Treviros usus, cum legisset vitam S. Antonii, ad socium dixit: « Dic quæso te, omnibus istis laboribus nostris quo ambimus pervenire? Quid querimus? Cujus rei causa militamus? Majorne esse poterit spes nostra in palatio, quam ut amici imperatoris simus? Et ibi quid non fragile plenumque periculis? Et per quot pericula pervenitur ad grandius periculum? Et quamdiu istud erit? Amicus autem Dei, si voluero, ecce nunc fio. »

Scivit secundo, vitam sæculi carnalem fœdam et bestialem esse, nec hominis dignam. Similis est dæmon Naas, Ammonitarum regi, qui premens Hebræos, in fœdus quidem recipere voluit et servos: sed hac lege, ut omnium eruerentur oculi dextri, quo nimirum ad pugnandum inhabiles fierent: carentes enim dextro, nec jaculari in certum, nec pugnare poterant, cum scutum operiat sinistrum oculum, I. Reg. XI. *Naas coluber aut serpens* exponitur, secundum D. Bonaventuram, in diæta salutis, tit. de virtut. cap. II. « Dexter oculus noster (inquit D. Gregorius in illum locum) est intuitus æternæ claritatis; sinister vero oculus est concupiscentia carnis. Dexter ergo oculus eruitur, quando mens ea cœcitate percipitur, ut ultra ad videndam cœlestia non aperiatur. » Desiderat ergo dæmon fide, religione ac pietate christiana, quæ Dei servitas est, nos destituere, ut sinistro tantum oculo directos seducat ac projiciat in carnales concupiscentias, itaque cum ipso pugnare nequeamus, sed velut bruta animantia, ejusque jumenta, in sordibus computrescamus. Talis evasit Nabuchodonosor, cum ei datum est cor bellæ, Deut. IV. nihil enim aliud nisi fœnum et ferinum victum cogitabat; donec datus est illi oculus dexter, quo cœlum aspexit et Deum glorificavit. Hoc autem fœdus cum diabolo fœdum et ignominiosum, adeoque homine indignissimum esse, vel ipse Naas ostendit, dicens: *Ponam vos opprobrium in universo Israel.*

Tertio, scivit fidem et pietatem, ac virtutem initio quidem asperam, in fine vero jucundam esse ac ducere ad vitam. Albula Romanorum aqua, argentea perspicuitate, ingredientibus quidem frigida artubus infert horrorem, postmodum tam leniter calefacit, ac si potionem calidam ebibissent, qui eadem se abluunt, auct. Strabone. Ita virtus, initio quidem nonnihil horrida et aspera, desinit in suavissimam consola-

tionem et lætitiã. Unde dicunt sancti, Psal. LXV. *Transivimus per ignem et aquam* (id est, per graves et leves tribulationes), *et eduxisti nos in refrigerium.*

E contra gaudium mundanorum et servitus satanica desinit in mœrorem et desolationem; quemadmodum Jordanis fluvius limpidus, amœnus et dulcis exonerat se et desinit in mare mortuum, fœtidum, graveolens, atque, ut appellatur, Num. XXXIV. *salsissimum.* Testantur id reprobi illi damnati, de quibus initio dictum: *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est. Ergo erravimus, etc.* De se autem subdunt: *Lassati simus in via iniquitatis et perditionis, ambulavimus vias difficiles; et ad extremum: In malignitate autem nostra consumpti sumus.*

S. Catharina, post insignes illas victorias, mirificè a Deo coronata et exaltata est, non solum in cœlo, sed et in terris. Etenim ad glorificandam ejus innocentiam et candorem virginitatis, decollata pro sanguine lac fudit; deinde, necarnificum manibus indigne tractaretur a ss. angelis in montem Sinai delata et ibidem tumulata est, ubi Deus legem Moysi dedit: denique, factum ejus corpus pretiosum, liquorem fundere cœpit, variis morbis salutarem. Quare ipsi imperatores cum universo mundo summis eam honoribus colerunt, et in specie Justinus imp. in loco sepulturæ ejus magnificentissimum templum cum monasterio extruxit. Ubi tale quidpiam factum mundi sectatoribus?

Vidimus te, o Catharina, virginem reverentiam e sapientibus fuisse, vidimus te victicem carnis, mundi, dæmonis; et gratulamur tibi victoriam. Nunc ingressa cum sponso ad nuptias, coronas tibi debitas et palmam fers. Aspice nos de cœlo, et impetra nobis similes victorias contra hostes illos, ut simul tecum intremus ad cœlestes illas nuptias.

CONCIO IV.

MAGNA S. CATHARINÆ FORTITUDO.

I. Vicit carnem. — II. Vicit mundum. — III. Vicit dæmonem.

THEMA.

Mulierem fortem quis inveniet? Procul et de ultimis finibus pretium ejus. Prov. XXXI.

Mirum certe videtur, quod sapientissimus Salomon mulierem fortem asserat non posse inveniri. Numquid ante Christi tempora non fortis erat Jahel, quæ Sisaram ducem gentilem, clavo per tempora adacto, affixit ad pavimentum? Judic. IV. Numquid non illa mulier, quæ fragmen molæ dejecit e turri in caput Abimelech ducis parthidæ? Judic. IX. Numquid non fortis Judith, quæ pugione amputavit caput Holoferni? Judith XIII. Verum non quæsi vit tales Salomon. Istæ enim feminæ bellicosæ quidem et magnanimæ fuerant, sed vicerant tantum hostes illos, qui corporibus insidiabantur, non eos, qui animabus. Non debellarunt carnem, non mundum, non dæmonem. Quid igitur? Quæramus tales post Christi tempora. Reperio in historiis tres miræ fortitudinis feminas: Cimbargim, Ernesti ducis Austriæ conjugem, Friderici III. imp. matrem, quæ palma potuit clavum adigere in parietem, Cuspin. teste; Elisabetham Caroli IV. imp. uxorem, quæ potuit ferream soleam manibus lacerare; Dömcam denique virginem Bohemicam, quæ ad jactum usque sagittæ gestare vaccam poterat, apud auctorem theatri tragici. Sed nec istæ sunt, quas quæsi vit Salomon. Hæ enim corporis robore alias præcallebant, quod nec laude nec vituperio dignum est. Aliam quærebat, quæ heroica virtute capitales animi hostes debellare posset. Hodie invenimus hujusmodi mulierem S. Catharinam, quæ tres illos hostes in uno tyranno stravit: carnem, dum ejus illecebras et faces libidinis extinxit; mundum, dum oblatas ab eodem divitias et regni communionem sprevit; dæmonem, dum ejus conjugem ducem, philosophos e dæmonis faucibus eripuit. In qua fortitudine non multum ablit ab illa trium ducarum feminarum. Videamus jam quantum illa superarit.

I. Una e dictis heroinis clavum parieti manu adigit: multo plus præstitit Catharina. Pœlla erit juvenula, formæ pulchritudine florentissima, genere nobilissima. Ejus amore capitur Maximus imp. optatque ejus nuptias. Quomodo non capietur virgo talibus promissis! At vero Catharina virgo talibus promissis! At vero Catharina clavum carni suæ infigit, considerans ac res-

pondens duo: primum, jam se meliori ac cœlesti sponso affixam ac desponsam esse; alterum, se quantacumque forma præditam, terram esse et cinerem; pulchritudinem morbo et ætate deflorescere. His duobus clavis cordi et animo impressis facile elusit hostem. Priore illo usa est etiam S. Domitilla, neptis Domitiani imp. quam cum Aurelianus trahere ad nuptias suas vellet, utereturque ad hoc ministerio duarum ejus collactanearum, Euphrosynæ et Theodoræ eis respondit: « Vos habetis sponso viros nobiles; sed si ignobiles et humili loco nati ab illis vos avocare vellet, num vos illis pareretis? » Responderunt protinus: « Avertat hoc Deus a nobis. » Tum illa: « Magnum ego sponsum habeo, Dei Filium, qui se vitam æternam daturum promisit iis, qui in ejus gratiam perpetuam corporis castitatem servant, etc. idque promissum confirmavit tot miraculis. » Quibus auditis, non difficulter crediderunt et ipse in Christum, Sur. 12. maii.

Nec minus efficax est alter clavus, meditari scilicet quam fluxa sit corporis forma, et quam a morte deformanda. Adorarunt Babylonii statuum Beli æream, sed inauratam foris, intus vero luteam. Ea igitur confecta, ait Daniel: *Ecce munera vestra*, in Græc. Dan. ult. Si aurum abraisises statuæ, nil nisi æs et fœdum lutum apparuisset. Videtur homo formosus aurea quadam statuâ esse; sed si pellem ei detrahas, proh! quam fœdum dabit spectaculum! Quam subito exosus! Quam abominabilis! Quam omnibus horrore erit! Exierat aliquando Christus e templo Jerosolymitano cum discipulis suis. Tum unus eorum e numero ostendit ei magnificentiam structuræ templi, dicens: *Magister, aspice quales lapides et quales structuræ!* Cui respondet Dominus: *Vides has omnes magna ædificationes? quasi diceret: Putasne admirandas? Non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruat*, Marc. XIII. Sic se habent res cum hominibus forma et ornatu conspicuis. Mirantur eos illi, qui mundo huic dedili. Aspice, inquiunt, qualis domina! Quam decora! Quam ornata! Sed audi: *Structura est et pulchra quidem, statuâ est et pulchra; sed brevi subvertetur, et non manebit in ea lapis super lapidem, non os super os; tota dissolvetur et de ea dicetur: Hæcine est illa Jezabel?*

II. Altera, ut dixi, soleam equi ferream suis manibus lacerabat. Majus est facinus, quod Catharina edidit. Proponit ei Maximus ingentes divitias, purpuram et communionem regni sui, si ipsi adherere velit. Verum Catharina plane ferream hanc illecebram heroico contemptu quasi stipulam confregit, asserens se martyrii purpuram regiæ longe præferre. Quamobrem mox ner-